

paeta sanctè inita ferre jubent, eos violare nefas, nisi publicam rem turbent. Sam. XXI. 1, 2.

X. Qvi per conniventiam feruntur, aut se nobis insinuant, in illos inquisitione sævire, iis eripere vitam, eosque fortunis spoliare, Christianum magistratum non decet, sed Anti-Christianum.

XI. Non tamen ideò in sinu nostro aperti Christi hostes tolerandi sunt.

XII. Jus Regium, I. Sam. II. 10, jus verum est, in extremo necessitatis casu Regi exercendum, ut tamen simul ostendatur, id si in tyrannidem, ut facilius quam in aliis Reip. formis fieri possit, degeneret, à DEO status immutationem ob sui contemptum sperandum non esse. Os. XIII. 10.

---

*Disp. XLIV.*

De

**Statu Oeconomico.**

I.

**P**olygamia Patrum in V. T. quamquam naturali potius, generalius tamen dicto & in certis tantum circumstantiis obliganti, quam positivo juri adversa, tolerata fuit, non circa eam dispensatum. Act. XIII. 18.

II. Rectè illa prohibita esse dicitur, Lev. XII. 18.

III. Cognitio rerum matrimonialium Divino & naturali jure, jure item Ecclesiastico veteri ad Principem pertinet; stolidumque est, denegare Christiano, quod conceditur gentili, ut rectè in ipsâ Rom. Ecclesiâ contra Galefium defendit Launojus.

IV. Qvi tolerari posse conjugia, in quibusdam gradibus Divinitus prohibitis, censent, non omnes illos gradus aut morali positivo, aut naturali jure prohibitos esse, dicere necesse habent.

V. Naturali autem jure gradus illos, quamquam inæqualiter, prohibitos esse, & pœna transgressoribus universim dictata, Lev. XII. 24. & obligatio gentilium ad eosdem convincit, I. Cor. V. 1.

H 2

VI. Con-